



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Provincia Aragonia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67132](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67132)

PROVINCIA
ARAGONIA.



FERVNT in Aragonia Sardi-
niaq. fratres trecenti circiter ac vi-
ginti. Valentia in Professorū Do-
mo duodetriginta. In Collegio vnus
& quadraginta. Casaragusta
quingenta. In Barcinonensi Col-
legio sex & triginta. In Gandiensi vigintiduo. In
Balearico totidem. In Gerundensi quindecim. In
Bilbilitano decem. In Domo Probationis Taraco-
nensi sex. In Sardinia, vt mox dicemus, vndenona-
ginta. Diem obiere sex. In Societatem adscripti
sunt quindecim.

DOMVS PROFESSA VALEN-
tina & Valentinum Collegium.

VALENTIAE quantum committi ani-
mo nostri possunt, tantum student animis
conseruandis. et, vt minora mittatur, precipuo quo-
dam studio ad Carnificinam fontibus adfuerunt, ne
cum corporibus simul animi plecterentur. Mabo-
metanus ad Christiū nuper additus, cum ob crimen
vaperetur ad necem, Christianumq. se emori simu-
laret;

laret; carnificis ad aspectum palinodiam cecinit. cuius inconstantiam ac leuitatem merito, qui illi aderant, aspernati, continuo hominem, ne operam in eo luderent, derelinquunt. desertusq. fere ab omnibus est, preterquam à nostris; à quibus tam ardens habita est cohortatio, vt reum penitus immutarint. Crucem suis ipse manibus sustulit, eamq. pie admodum veneratus, tum demum induxit animum, pulsus diuinitus tenebris, christiane mori. Ergo peccata cū dolore confessus, & ad Christianorum patibulum, vt postulauerat, ductus, frequenti IESU nominis usurpatione, mortem illam non dubijs suæ salutis significationibus edixit, alacriter & constanter excepit. Mulier orbata viro, cum, & ætatis flore, & præclaris animi corporisq. bonis ad libidinem abuteretur, non paucis ciuibus erat exitio: & quod magis deplorandū erat, suas tenebras adamabat. præceps igitur ruebat in vitia; & præterita facinora nouis semper sceleribus superabat: dum ad extremum in homicidij societatem venit, & pœnam criminis, quæ grauissima erat, incurrit; dextra, auribus, capiteq. damnanda. quod illa supplicium cum redimere nec graui auri pondere, nec præcū magnitudine posset; agnita æquitate diuinæ iustitiæ, præsertim quod à tenero filio, annos nato vix quinque, prodita est; se ipsa respexit. Tum demum pristina mutare consilia, & nostros, à quibus abhorrebat, accersere. his scelera confitetur, & in amorem versis odijs, ea sibi ad salutem præsidia parat, quæ in suis tenebris deridebat. Affuit dies, cum dandæ carnifici cervices

erant; quo quidem tempore nullo tortoris aspectu, nullo mortis aduentu perterrita, adeo sedatam tranquillamq. se praeiuit, ut cum aures illi ex Iudicum sententia praeciderentur; ad Deum oculis precibusq. conuersis, cruciatus illos in lucro atque in beneficij parte reponeret. In itinere cum in effigiem Beatae Mariae semper virginis incidisset, auro gemmisq. decoram, studio quodam pietatis incensa, magni pretij anulum detraxit ex digito, in eiusq. Virginis manus inseruit, nec caruit sua mercede tam liberalis manus; quae cum ex Iudicum sententia, simul esset cum auribus amputanda, Carnifex nescio quo deceptus errore, clara testatus est voce, eam sententiae partem à Iudice fuisse mutatam: cum tamen nihil tale Iudici, ut postea compertum est, venisset in mentem. Ac ne longum faciam, mortis acerbitate contempta, patibulum sponte conscendit; & quò propius à morte aberat, eò se vehementius muliebris pietas intendebat. Referre Magdalenam alteram dices: tanta ac tam repentina fuit animi, morumq. conuersio, nec poterat à IESU Christo diuelli, quae icta eius semel erat amore. huius illa identidem & nomen appellabat, & osculabatur imaginem, ac demum eo vitam sine conclusit, ut magnam suae spem salutis vulgo reliquerit.

Sodalitium superiore anno inchoatum, multum & sodalium numero augetur, & pietatis ardore. atque, ut laudes reliquas sileamus, ita se sodales instituunt, ut non modo custodias, & Nosocomia frequenter inuisant; sed etiam alieno oppressis

oppressis are subueniant. Quadraginta ex ijs, quos alienum as morabatur in carcere, debito omni perluto, educendos mittendosq. curarunt: vt futura iam hæc sodalitas videatur quasi quoddam piorum hominum Seminarium, vnde multorum egestas ac calamitas subleuetur.

I N VALENTINO Collegio multi sunt qui ab omni se negotio remoueant, & in cubiculum abditi, ad meditationes se Societatis exerceant. Duo etiam quò facilius ad supera & cœlestia nitantur, contempta humilitate terræ, in Societatem ipsam dedere nomen. Ad sacras templorum conciones accessere forenses, quæq. ad sacras Virgines in eorum Cœnobijs habentur: nec tamen intermittitur Catechesis. Et quoniam ad ea curanda, quæ Dei sunt, Societas tota conuertitur, ipse quoque Deus singulis momentis, quæ nostra sunt, curat. Trecenta hoc anno ab honestissimis viris agrû iugera sunt delata: ac præter alia multa minuta, pia femina hereditatem quamdam Collegio legauit.

CAESARAUGVSTANVM
& reliqua.

CAESARAUGVSTANI Collegij tēplum annis iam aliquot inchoatum, hoc anno demum absolutum est: opus sane elegans & diuinis vsibus opportunum; quodq. sua sponte ad nauandâ animis operâ Sacerdotes nostros inuitat. *Vticensis*

Episcopus, is qui primum lapidem rite iecerat, eius quoque dedicandi provinciam perbenigne suscepit. & quò magis testatam suam nobis benevolentiam faceret, satis tamen ante perspectam; re diuina peracta solenni ac Pontificio ritu; eum diem agere apud nos voluit, & eadem familiariter vti mensa.

Hic nostri in suis perennibus studijs muneribusq. se continent; nec ciuibus tantum profunt, sed etiam exteris. Ferunt animis opem; & cum animis saepe corporibus. Publicas vnaquaque hebdomada custodias obeunt; & animorù quidem egestatem, diuino verbo; corporum vero, quæsito ere vel veste sustentant. Sontes, vt æquo animo supplicium perferant, tum plenis charitate sermonibus animant, tum ad patibulum prosequuntur. Hominibus non modo ab omni fortuna, sed etiã spe derelictis, et re, cum possunt, & oratione succurrunt. prohibitiq. sunt nonnulli desperatione perculsi, ne se abijcerent; nec sibi ipsi mortem, Sathana instigante, consciscerent. Expoliendis etiam Catechismo rudibus suum tempus impertiunt. Quo in genere Sacerdos noster duos ab ortu mutos pia quadam miseratione complexus, solis nutibus, & digitorum argutijs sic instituit, vt præcipua fidei dogmata perdidicerint, & cù Confessionis, tum Eucharistiæ sacramenta susceperint.

BARCINONÆ Exercitationes litterariæ, quæ crebræ frequentesq. fuerunt, semper ex sententia cesserunt; sed ex earum explicacione questionum, quæ ad cuiusque vitam & officium pertinent, mirifica ad animos vtilitas redijt. præfuit ei numerus

Sacerdos

Sacerdos noster præcipua Urbis in Aede; cum præ-
sens adesset Episcopus, Canoniciq. Sacerdotes, &
Equites. Didicerunt ex ea Parochi Clerusq. totus
rationem sui muneris obeundi. & qui simonia, Col-
lybo, Ecclesiæq. ascripti vinculis tenebantur, ijs om-
nem dubitationem pater exemit, suisq. soluendi faci-
les vias dedit.

In sodalitate Dei Matris, quanta ad sodalium nu-
merum, tanta ad pietatis laudem accessio facta est.
constat hic cætus ex sodalibus centum & viginti
quinque: qui quidem tantum sibi, & religionis, &
doctrina nomen apud omnes huius Regni Antislites
pepererunt, ut ex ijs novem, facto prius de cuiusque
eruditione periculo, totidē curijs Paræcijsue præpo-
siti sint. Horum multi rerum humanarum despicien-
tiam edocti, mentis aciem in celestibus bonis, atque
in ipsa æternitate defigunt; vulgarem hominum
vitam cum Cænobij disciplina commutant; nostræq.
vitæ genus, præter alios multos, qui id ipsum flagi-
tant, amplexati sunt quatuor.

IN BALEARICO Collegio tres se ad Socie-
tatem adiunxerunt, philosophia in primis exculti:
aliqui etiam ad reliquas familias atque Cænobia:
multoq. plures, qui se adiungant, fore, pollicetur
Beata semper Virginis sodalirium: cuius sodales in
Societatis quasi gremio sinuq. educati, ad omnem se
virtutis laudem decusq. limant. ac per angustias
Domus Probationis stat, quominus petentibus mos
geratur. Dant etiam spem virtutis Auditores no-
stri Gymnasii, præsertim quod primæ nobilitatis
L 4 adole-

adolescentes traduntur in disciplinam: quorum laudabiles exitus, locum ipsum, vnde prodierint, ita commendant, vt ad eandem alios disciplinam, eiusdemq. laudis studium vehementer incendant. quod proximis quibusdam disputationibus, (in quibus principis cuiusdam viri filius, presente Prorege, totaq. nobilitate, acriter disceptabat) patefactum est. Quae ad reliquos huius anni fructus pertinent, ea ne semper eadem consecemur; eorum, quae de ceteris Collegijs diximus, sunt similia.

G E R V N D A E hoc anno primum tradi philosophia publice coepta est, cum communi gratulatione ciuium, tum spe futurae commoditatis, cuius rei fama nonnullos in hanc disciplinam adolescentes & finitimis etiam oppidis euocauit. quoniam autem nostrorum eruditio non vulgarem commendatione subito in vulgus habuit; Ciuitas nostris contenta Doctoribus, alios nullos in Academia requisit. Ea est autem ciuium in nos voluntas atque propensio, vt nihil omnibus videatur antiquius, quam vt annum veltigal Collegium habeat; vnde & amplior ali familia possit, & haec iuuentus humanitatis etiam litteris erudiri. Res diuina meliore videtur hoc anno loco, quam superioribus. auxit hominum ad sacramenta concursum oportunitas concionum, praesertim, quae de Eucharistiae mysterio, crebraque eius usurpatione sunt habitae. Quae quidem diuinorum consuetudo mysteriorum foras etiam peruasit, praecipueq. ad Pyrenaeos montes, qui Gallos diuidit ab Hispanis, vt proximis litteris demonstratum est.

Insi-

Insigniora hic instituta sunt oppida tum concionibus, tum catechismo. atque utinam excitatus semel diuinitus ignis, à reliquis Sacerdotibus foueatur. sed magna est idoneorum Sacerdotum penuria; ut necesse fuerit, de Sacerdotis officio conciones habere priuatas. Curatum est etiam præter alia, quæ varijs sunt gesta locis, ut multi, qui pellices alere consueuerant, aut matrimonio rite inito, haberent eas uxorum loco; aut è domo sua quamprimum extruderent. Erant etiam quodam in oppido, qui vitam solo sœnore sustentabant; nec id fateri aperte pudebat: negabant enim vel domestica, vel aliena inopiæ aliter posse consuli. sed religione à nostris obiecta, eripi sibi passi sunt hunc errorem: suaq. illis omnia eo animo permiserunt, ut quæ iniquis artibus comparassent, ad nûmum redderent vniuersa. quare cognita tam oppidani, quam peregrini ornare laudibus Societatem, diuinamq. erga se beneficentiam efferre: Patres etiam obsecrare, ut se frequenter inuiserent, & ad æternam vitam salutemq. dirigerent. Certatimq. ad confessionem tam multi confluebant, ut nisi noctes addiuuarent, deserendi utique multi forent.

SARDINIA.

DEGUNT In Sardinia de nostris vndenonaginta. In Sassaritano Collegio tres amplius et quadraginta. In Ecclestensi nouẽ. In Calaritano duo circiter et triginta: sed ex hoc postea numero, ut id ipsi
 mox

mox planius; in Probationis Domum recens insitu
tam quatuordecim commigrarunt.

S A S S A R I T A N V M.

SA S S A R I Gymnasi numerus, exstructis no
uis Exedris, augetur. nam cum à Collegij sedi-
bus scholæ veteres longe abessent; nunc ad ea, nouis
scholis adiectis, nouos quoque Auditores earum &
laxitas, & opportunitas inuitauit. Dat & Dei Pa-
rentis Sodalitas fructus suos. Sodales ex ea tres,
præter eos, qui in alijs Cœnobijs diuino cultui se de-
dicant, familiæ nostræ se tradiderunt. Foris non mi-
nus studiose, quam domi, animarum causa defendi-
tur. locis compluribus obeundis, conqueuerunt in a-
multorum, redijt q. ad suum quæque dominum male-
parta pecunia. propulsata sunt incommoda multa:
excisa vitia fœdissima: & alia huiusmodi gesta com-
plura. Sensit maxime nostrorum opem Ciuitas Al-
garensis, vbi ea cum laude, Societatis administrata
sunt munera, vt Collegium ab omnibus expectatur.
Pagus alius, cum ex priuatis quorūdam odijs, duas
in partes discessisset, habita à patre nostro de Christi
cruciatibus concione; princeps alterius factionis, is
qui grauissime læsus erat, diuinitus emollitus, sine
mora se flexit: relictoq. illico pallio, conuenit immi-
cos, eosq. per amice complexus, suo exemplo cet-
eros impulit, vt missis similiter odijs, ad concordiam
& equitatēq. descenderent. Nec vero domesticis futi-
ris tantum, ac certaminibus occurrendum, sed cum
in

in exteros etiam arma ferreretur, mutua tum cruoris effusione, tum nece; compressa est tam acerba iracundia flamma, & utrique parti tranquillitas restituta. Verum compositiones facta per nostros plures sunt, quam ut singula numerari queant. genus attingisse sit satis. Renocati in eodem sunt pago piquidam hominum cœtus, Rosarij celebrandi causa, aut in honorem sanctissimi IESU nominis instituti: quorum beneficio mos peierandi minuitur. Traditus est per quadragesimam pueris plebique infimæ catechismus, tanta hominum cum approbatione, ut honestus presbyter tam salutarem consuetudinem toto anno tuendam alendamque susceperit.

CALARJ quoque pristina tuendorum hominum consuetudo tenetur. Curatum est, ut Gazophylacia, unde miseri illi, qui habentur in vinculis, sustentari queant, in celeberrimis Urbis locis affigerentur: pariq. sedulitate eorum verecundiæ, quos precario victitare pudet, prospectum est. Ad domesticas conciones acceperunt, quæ & in ade maxima, & in Dominicanæ familiae templo, ipsorum Patrum rogatu toto anno sunt habitæ: ex quibus sua quoque in animis respondit utilitas. Tres ad Societatem se contulerunt, quorum duo Sodalitij factus sunt, & Dei Parentis alumni.

In pagis eadem cura de animis. Graues enim iniuria, nostrorum precibus sunt donata, & ad complexum inimici quesiti. Vagæ peregrinaq. libidines graui oratione damnata, sublataq. nefaria connubia. Egentibus parata subsidia; peccatorum occasio-

occasiones ademptæ, atque, ut vno verbo multa concludam, Societatis partes rite administratæ sunt. Quodam in oppido vir primarius, desperata iam filij salute, Sacerdotem nostrum accersit, rogavitq. ut filij salus ei curæ esset. Pater parentis perfecta fiducia, IESU Christi Euangelium in sinu pueri religiose pronunciat: cuius religionis ea vis fuit, ut non ita multo post semianimis puer habere melius, & suis pedibus ingredi cœperit.

Huic Collegio Nouitiorum aedes erant adiunctæ; sed hoc anno opportuna visa res est, eas à Collegio seiungere, & in Suburbio collocare, salubri loco & peramœno. Eæ sunt B. Michaelis nomine, Deo sacra, annuis instructæ pecunijs ad aureos quadringentos, & eo amplius. facta est hæc migratio decimo quarto. Kal. Ian. quanta vicinorum gratulatione, dici vix potest: qui cum antea locorum intervallo, frui, ut aiebant, Societatis opportunitate nō possent; nunc noua hac vicinitate nostrorum, perbeati sibi videntur; quod vnâ, omnia sibi videantur nacti præsidia ad pie Christianeq. viuendum.

